

PROPEMPTICA

VIRO INTEGERRI-
MO ET POLITIORIS DOCTRI-
NAE LAUDIBVS OR-
NATISSIMO,

Dn. JOANNI CZANADIO,
Seniori Cætus Vngarici Vitebergæ stu-
diorum caussa collecti, & in patriam
Ungariam redituro, Anno
M. D. LXXXVIII.
XXII. Januarij.

SCRIPTA

Ab Amicis & Popularibus.



VVITEBERGÆ
Typis Clementis Schleichij.
M. D. LXXXVIII.

FRISCHLINVS

NICODEMVS FRISCHLINVS,
Poëta Laureatus & Comes Palatinus, suo
Joanni Czanadio Hungaro, reditu-
ro in patriam.



Sus amicitiae non longo tempore
tecum
IANE fuit, gratus sed tamen ille fuit.
Namque recordanti, quas in eum
transiit horas,
Dauides vestri gloria magna poli,
Occursat mihi gentis amor: nostrumq; subinde
Emicat in pectus mutua flamma viri.
Doctus enim doctis nostras sermonibus aures
Impulit, & nostros rettulit inde sonos.
Neccarici testis mihi docta juventa Lycæ:
Et quæ sunt Elegis condita vtrique modis.
Quid, quod & Hungaricis non est mihi parua sub
Gratia, nec famæ nescia terra meæ? (oris
Viuit ibi, viuatq; vtinam, generosus auito
Sanguine, prælustri Iulius ore comes.
Iulius antiquo Salineæ stemmate gentis
Editus, ô quantum terra habet Hunna virum?
Viuit ibi, atque vtinam sit eidem vita superstes
Balthasar, heroi lux & imago ducis:

A ij

Baltha-

Balthasar, illustri Bathyanum sanguine cretus:
Balthasar, Hungarici murus, & arma, soli.
Tuq; Serinea superes de stirpe Georgi:
Nicolei fili, Nicoleiq; pater:
Et, qui Pannoniostantum supereminet omnes:
Ante citus quantum Pegasus ibat equos:
Tempora ciuili redimitus fronde, Nadasdus:
Quem Turcus metuit, que suus Hunnus amat,
Prælustres animæ: quales non protulit ætas
Aurea, non ætas vlla secunda feret.
I pede felici: patriosq; reuise penates,
Expectat redditum Pannonis ora tuum.
Fœlix illa virūm, si non contermina Turco:
Heu quam vicinum gens habet ista malum.
Christe feros hostes à Pannonis orbe repelle:
Ostendent terram climata nulla parem.
Non erit Hungaria felicior Itala tellus:
Gallica non regio, Teutonia n̄e solum.
Turcus atrox hostis: qui quicquid subiugat oræ,
Vastat: & in flamas ire, rogumq; iubet.
Si qua tamen superant Amurathæ libera freno:
Hæc vñus Christi seruat ab hoste fauor.
Pastorem quantis per oues te Christe sequentur,
Tantis per nullus perdet ouile lupus.
Eia age Czanadi, cui iam commissa docendi
Munia, Pannonium pasce, sed arte gregem.

Arte gregem pasces, vbi noxia pabula tolles:
Et trades verbo consona sacra DEI.
Agnina sub pelle lupos agè pelle latentes:
Sic erit à reliquis Hunnia tuta lupis.

ALIVD PROPEMPTICON.

Pannonia quondam præclarum nomen in orbe
Extitit, & partum laude frequente decus.
Et varia specie virtutum inclavit orbi,
Subsidij artes officiog; fouens.
Et proceres habuit docta virtute potentes,
Hac pulchra eternus laude paratur honos.
Omnia mors tollit, sola est sine funere virtus,
Et clarum summo cum loue nomen habet:
Vngara gens etiam toto illustrissima mundo
Eminet, & doctis artibus alma fauet.
Sed iam confectis ævi melioribus annis,
Præcipitant magnos fata seuera Duces.
Et quia regna ruunt, Pietas moritura videtur,
Heroum interitum fulcit in orbe Deus.
Ergo continuo succidunt ordine fortis,
Virtutis testes quos cupit esse Deus.
Artis amor signum est diuini in pectore motus,
Namq; Deo iunctos efficit artis amor.
Alcidem iunxisse ferunt vestigia Musis,
Hoc est, Dux artes debet amare bonas:
Sic quoq; Forgacidum genus alto à sanguine tractum,
Egregium toto gestat in orbe decus:
Hic virtute potens Forgacius inclitus armis
Regnet, & illustres nomine vincat auos.

Hunc patria, hunc Musis, hunc religionis amori,
 Hunc serua Vngaria Christe benigne Ducem:
 Istius Albiacas studium te misit ad oras,
 Iohannes patrij gloria prima soli.
 Hic tu doctores ad pulpita docta Philippi
 Andis, ac artes cum pietate bonas.
 Tradidit & quicquid sic Dædala penna Lutheri
 Excipis, & memori mente notata tenes.
 Hinc tibi surgit honos nullo periturus in auro,
 Claræq; præstantis munera mentis erunt.
 Sed tibi digressum faciunt iam fata secundum,
 Doctrina ut vigeat nobilis aura tua.
 Quare successus opto tibi carmine nostro,
 In melius cedat quod tibi sumis opus.

Michaël Cibradius.

ALIVD.

TAntane te patrij jam vexat cura, Tibisci?
 Tantane Pannonicæ te trahit aura plagæ?
 An patriæ tantum exardescis amore videndæ
 IANE, Czianadii fama decusq; soli?
 Docta, virum, ut triplici, clarorum, dogmate Phœbi,
 Linquere discupias ora, Lycæa, Scholas?
 Altricemq; Novem, servatricemq; Sororum
 Vrbem quam liquidis irrigat Albis aquis,
 Illustremq; tuæ gentis cultamq; coronam
 In mediis, eheu, deseruisse malis?
 Nec tibi hyems, nec brûma nivalibus horrida nimbis,
 Nec tempestatum sæva procella nocet?

Nec

Nec tristis cœli facies, nec longa viarum
 Tædia, ventorum aut vis iniuncta movet?
 Aspice Sarmaticasq; nives, & grandine multo
 Carpathii latè culmina sparsa jugi.
 Finge videre oculis Boreæ molimina, vires
 Ceciaci, robur Circii, & acta Noti.
 Ad quæ nemo nisi Calais Zetesq; gemelli
 Crede mihi, tali tempore tutus eat,
 Quid quod, quâ dextro via sidere longa terenda est,
 Et quâ sunt patriæ rura petenda tux,
 Hei, infelici flagrant loca cuncta potentum
 Ambitione; duum &, Marte furente, Ducum.
 Nec dum sceptra loci, rerum aut moderainina quisquam
 Plena tenet, dubio sed velut amne labant.
 Ærea, crede mihi, turbabunt classica Musas,
 Bellonæ non est Pallas amica truci.
 Ergo, si desiderium deponere non vis
 Pannoniæ, saltem differ Amice parùm.
 Sol opus, expecta donec revolubilis anni
 Compleat, & tacto pisce refingat iter.
 Post ubi Phryxæi conscenderit aurea Signi
 Terga: novas arbos indueritq; coimas:
 Ruraq; floruerint passim; & nova temporis ætas
 Prodierit, perges commodiore viâ.
 Fallor? an hæc undis, & arenæ semina mando,
 Nec profecturis littora bobus aro.
 Est ita; nam patulas aliis (ignoscere) liquenti
 (Sirenum ad cantus ceu πολιποσθ ονής.)
 Illevisti, uni, cæra, mihi callidus aures
 Ne precibus pateant, neu valuisse queant.
 Fallimur, hæc non est feritas inamabilis in te,
 Asperitas mores non regit ista tuos.

Sed

Sed quia fata vocant, fato concedis, & illud
Luctari contra, desipientis ais.
Ergo bonis avibus, fausto omne perge, Tonantis
Fac comites habeas splendida castra, viæ.
Sic Rephaëlæ nutu dextraq; regaris,
Vt Tobielidæ, stirps Cenahhæa, senis.
Frigora depellat, præduri militis arma
Temperet, ac tutum præstet ab hoste, Deus.
Vt dulces patriæ fines, & amœna Sororum
Tecta Novenarum Bodrogiasq; domos,
Prosperiore adeas Phœbo, votisq; frequenter
Conspicias felix ora petita, tuis.
Magnanimos Christi Heroas, servosq; fideles,
Qui gregibus præbent pabula sacra Dei,
Caroleos, Fabios, Gōncinos, Sidereosq; ,
Et quos me brevitas ista referre vetat,
Auspiciis soſpes salvere jubeto secundis,
Ingenii æternent, secula longa, bonis.
Facta horum memori me mente revolve re dices,
Hesperiis, Rheni, nec posuisse vadis.
Signa petunt? sortem patris excusato remotam
Hei mihi quod plus me sors inimica potest.
Postquam pro verâ tot religione labores
Atq; tot ex haustæ tædia militiæ
Insignis pietate, Ducis, Mavorteq; clari
Borbonii, quo nunc rege Navarra cluet,
Seu vivit, seu quod vertat Deus omen in hostes,
Sulphurei cecidit fusus ab igne globi,
Guiscam contra sobolem, Francumq; furentem
Rettuleris; Rhodani & facta trophyæ vadis.
Tum, quæ scire volet nostra de gente juventus
Huugara; Leucoreo, quo sit in orbe, statu.

Pluraq;

Pluraq; quæ rerum posset studiosa novarum
Contio, rumores sueta fovere vagos.
Quo te cunq; feret divina potentia tandem,
I sequere audaci munia jussa pede.
Vtilis ingeniis juvenum, nec inutilis illis,
Qui populum è cathedris dogmata dia docent,
Gymnasium ingressus sacrorum oracula vatum,
Prima sit ut juvenes cura docere, vide.
Hinc sophiæ Grajæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Semper Aristotelis fontibus hauſta doce.
Plenius hoc nemo cunctarum ænigmata rerum
Abdita discussit, nec mage lucidius.
Victor Aristoteles Naturæ dicitur esse,
Hoc Duce naturæ tu quoq; vince malum.
Ilia rumpantur Codris, qui fonte relicto
E cœno replent eiq; palude sitim,
Tu cole Aristotalem, in Sophiâ tua pulpita solus
Occupet: Arpinas Dux sit in eloquio.
At tu Pannoniæ, spes ô clarissima, pubes
Per quam venturæ stantq; caduntq; scholæ,
Discito, ne postquam maturior ingruet ætas,
Ploret tam stultos præterisse dies,
Nunc utraq; manu, nunc viribus utere totis,
Nunc faciat somnos hæc tibi cura breves.
Crede mihi, non est sapientis dicere, DISC AM,
Cras nimis est serum discere, disce hodie.
Namq; fluunt anni, curuntq; meantq; rotati,
Horaq; quæ fluxit nulla redire potest.

Annus.

Hls VoLVI hortari Verbi te Pannonia pVbes,
Hls Iter ornabo Iane DISerte tVVM.

Demetrius Kracovius. T.
B ALIVD.

A L I V D.

VT viridi quondam consurgunt cespite flores
 Purpurei: postquam sub terras Cynthius egit
 Formosis hyemem radiis, Zephyriq; benigno
 In veterem planta revocantur flamine vitam.
 Tunc & Aristai peragrant animantia passim
 Quæ loca cunq; meliphyllis vestita, thymoq;
 Ornata, & variis delibant consita plantis.
 Hinc sibi opes cogunt gratas, onerantur amœnis
 Vtrah, crura simul properantum floribus, arte
 Dædala nituntur summâ componere tecta,
 Et firmare favos, & flava recondere cellis
 Mella, quibus possint velut urbis commoda parva
 Sarta per hybernos menses & tecta tueri:
 Ne vel dira fames, vel turbida bruma nivali
 Eripiant inopem miserandis frigore vitam.
 Sic, ubi veridica tenebrae sunt luce fugata
 Papatus tenebrae, divinoq; ore Lutheri,
 Candidaq; in Nigra micuerunt lilia Terra
 Albidos ad ripas; doctrinæ semina veræ:
 Advolat Aonidum studiis devota juventus,
 Singula quæ veterum penetrat monimenta Sophorum:
 Hermogenem sunt qui venerantur, & ordine jungunt
 Verba, nec eloquij patiuntur obire nitorem.
 Socraticos juvat arctè alium connectere nodos.
 Hic solide tractat sacrorum oracula Vatum,
 Cumq; novo passim resonantia fædere confert.
 Ille modos urget varios, & Apollinis artes.
 Hic numeris verum disquiritat, ille figuris
 Sidereas alijs sedes, atq; astra laborant
 Scire, simul stellas numero comprehendere paruo.

Sunt

Sunt etiam, qui perrumpant penetralia verum
 Abdita natura; scrutando viscera terra.
 Anxia sed justo ducendi tramite mores
 Multos cura tenet, multos componere lites,
 Et tractare toga sapienter jura verenda.

At cur tam variis ornantur pectora donis?
 Ut sic quisq; suam in patriam, pietatis amorema
 Exprimat, his etenim, validis ceu nititur armis,
 Adversas superare acies, inimicq; castra,
 Et prestare suis requiem, placidamq; salutem.

Tu quoq; Pannonicæ, pars optima, I A N E palestra,
 Cecropias imitatus apes, penetralia mentis
 Aethereo nuper cumulasti munere: doctus,
 Quo sint fixa loco virtutum sidera: doctus
 Qua liceat Labyrinthos cludere flexus
 Arte, Sophistarum, nodus qua Gordius arte
 Solvatur: Tu sacra tenes mysteria mente,
 Tu nosti arcanos multorum promere sensus.

Ergo jam superest, ut, cùm te limine sistas
 Peonio, nostram, furiosis undiq; septam
 Insidiis, patriam, tuare potentibus armis,
 Invictoq; Dei verbo contra horrida Ditis
 Agmina, te huc virtus tua te pietatis & ardor
 Sponte ferunt, Papam in primis avertere caulis
 Christicolarum ovium, templisq; arcere memento.
 Nam Romana omnes lustrant examinata terras,

Qua sortita suum nomen (ni fallor ab illis
 Sic sunt dicta, quibus dolus atq; Simonia turpem
 Dant questum) tetros hac spirant semper odores,
 Quos tu cœlesti contra removere flabello
 Nitere, tuq; piis veros insculpito sensus
 Mentibus, æterna fragrent ha semper amore

B ij

Latitia

Latitiae sanctog̃ cibo pascantur abunde.

Ambrosia vescuntur enim, si corpore Iesu,

Nectare, si meritò saturantur sanguine Christi.

Sic fingenda hominum, sic sunt formanda piorum

Pectora: sic pingui largè ditantur olivo,

Vt, celer ex alto veniet cum Christus olymbo,

Non ea deficiant radiantes lampadis ignes,

Et subito diri fauces abigantur in Orci.

Alme Deus, rerum moderator, & unice Mundē

Rex, pia divino qui sufficiis organa verbo,

Redde suis tanum, carisq̃ penatibus, oro,

Cزانadium, & sacro per inhospita resquameantem

Præsidio dignare tuo: tu protege euntem;

Protege, ne fatis rediens agitetur inquis.

Fac quoq̃, Nestorios ut salvus vivat ad annos,

Inq̃ dies melioribus hunc successibus orna,

Vt queat alta tui venerandi mænia templi

AEdificare simul dextra, lœvag̃, potenti.

His ô alme pater precibus favor annuat æquus.

Demetrius F. Ezlarius.

•S S

A L I V D.

STAT quia fixa Dei de conditione voluntas,

I A N E, tuâ, redditum quæ properare jubet,

Non precibus, non te nostris remorabor euntem

Luctibus; ampla licet causa doloris erat.

Vota Deo sed pauca feram concepta sereno

Pectore, quò patriam faustus adire queas.

Cætera

Cætera quæ poterant laudi servire probatæ,

Es veluti meritus, spontè tulere tibi,

Quos tibi conjuxit virtus tibi clara, sodales:

Tanta negant humeri pondera ferre mei,

Improbatis erat meritas non reddere laudes;

Ingenii ferret si mea vena rudis:

Verùm onus haud humeris cùm sit tolerabile nostris;

Musa sit in sanctas officiosa preces.

Ergo velut quondam Memphitidos orbe reversis,

Lucida præluxit nocte columna Dei:

Christus ab Æterno lux splendida nata Parente,

Luceat ante tuam, sic quoq; ritè viam.

Hæc eademq; tibi mentemq; animumq; gubernet,

Vt tua lux populum splendeat antè Dei.

Et velut Assyriâ digressus ab urbe Tobias,

Angelica cinctus tutus abivit ope:

Sic precor hunc, curâ modò qui meliore tenetur,

(Hic servire Deo quòd cupid, ille patri)

Dulcia captantem patriæ jam lumina terræ,

Cœlitibus tutum præstet ubiq; D E V S.

Vt, velut ille fuit rabidi à conamine piscis

Ereptus, sit & hic tutus ab hoste suo.

Vt tulit is patri piscis quoq; felle medelam,

Melle sit hic V E R B I corda levare potens,

Deniq; ceu vigili fuit ille à Dæmone tutus,

Octavum cupiit qui periisse virum;

Sic noceat scelerum pater haud tibi munia quin tu

Perficias, Domini ritè regendo gregem;

Vt tua tot juvenum possit producere virtus

Pectora docta, nitens quot gerit astra polus.

Post, juvenes, canosq; senes, puerosq; salutis

Ducat, ad optatam, lingua diserta, viam.

B iii

Hæc

Hec tibi pauca, tamen simul omnia, IANE, precamur,
Efficiat clemens quæ rata vota D E V S.

Sigismundus Mariasi de
Markusfalvva.

A L I V D.

SIC te sancta Patris manus,
Sic Christus superum sidereum jubar,
Sic te spiritus aetheris,
Sic clemens hominum Rex Deus & Pater;
Qui fecit mare, qui polum,
Qui terras regit & cuncta animantia:
Cui semper vagam motibus
Æternam tribuunt sydera gloriam:
Quem tu Phœbe micantibus
Extollis radiis; cui tribuis decus:
Sic inquam regat in viis,
In quascunq; tuum contuleris pedem:
Vt salvus, patrum solum,
Possis incolumi cernere lumine.
Fidos insuper angelos
Adjungat comites, qui tibi serviant:
Reddantq; incolumem, precor;
Et servent animæ dimidium mea.

Non

Non te frigora, non gelu,
Qua gignit Boreas, & Notus imbrifer
Infestent: Latro nec viis
Portans insidias, te impeditat tuis:
Sed tuis redeas, precor,
In clarum heu misera Pannonia solum:
Ilic protegat inclytum
Te, ter magnanimi dextra potens Dei.
Mentemq; irradiet tuam:
Et det Nestorem vivere seculum.
Amoris & observantiae ergo scribebat
Sigismundus Peczi de VVifalu.

A L I V D.

IANE meos inter semper memorande sodales,
Leucoreane paras urbe redire domum?
IANE decus patriæ Phœbeia castra sequutus,
Hinc spoliis Clarii fontis onustus abis?
Tu nova rura petens, nos hîc scabiosa relinquis,
Saxonici miseros arva habitare soli.
Lætus adis patriam, cum divite fœnore, sacras
Artis Apollineæ pandere doctus opes.
Scilicet, ut patriæ valeas prodesse labanti,
Eheu, quæ variâ sorte sabacta iacet.
Ingenuas tradens artes, sophiamq; salutis,
Vt possis patrio consuluisse choro.

Quem

Quem tua nî foveat florentem provida virtus,
Iam jam difficiles est habitura vices.
Gymnasii paucos video nam sceptrâ tenentes,
Qui reddant studiis, clara Lycea, suis.
Nec video lumen qui doctis artibus addant,
Et studeant animos expoliisse rudes.
O propter miseras, tempus memorabile, causas,
In quo nil stabili cum ratione manet.
Olim quos habuit doctos, & in arte peritos,
Pannonia terra viros, nunc gemebunda dolet.
Docta tamen Pallas ne montes deferat altos,
Et perget patriis vertere terga focis.
Ecce redis, doctus Musarum cultor, in hortos,
Ecce redis, tecum plurima dona ferens.
Aonias nam te juvit coluisse Camœnas,
Assiduè Musis invigilando bonis,
Et pia sanctorum trivisse volumina vatuum,
Ex quibus hausisti dogmata vera D E I.
Præmia virtutum meritò sic ampla reportas,
Cum tibi sint doctæ, fræna regenda, scholæ.
Quæ tibi Pannonias fuerit signata per oras,
Irrigo cujus fonte levato sitim.
Iam te chara parens, fratres, chariq; sodales,
Quamprimum cupiunt hoc rediisse loco.
Fallor? an & studiosa cohors, tua cura, libenter
Expectat redditum nocte dieq; tuum.
Felix, qui potuit patrias inviserre terras,
Cumq; suis dulci prosperitate frui.
Ceu tibi sorte datum est divinâ, dulcis amice,
Ergo bonis avibus carpe beatus iter.
Sed quid opus longis ambagibus istare referre?
Expediam brevibus paucula verba sonis.

Quo

Hic ubi florentes ornant Heliconides urbem,
Cujus agros rapidis irrigat Albis aquis,
Hic ubi perrupit sacram alitis ungula lympham,
Purius, & cursu divitiore fluit.
Hic tu Musarum puris ex fontibus hauris,
Quicquid habet Latium, Gracia quicquid habet.
Divini lustras mysteria lucida verbi,
Quod trahit aetherei, semen, ab axe poli.
Iamq; hic ingenuis dum perluis artibus ora,
Et teris Aonias, hospita recta, domos;
Aureus interea revolutis mensibus, astra
Sol duodena suis ter peragravit equis.
Ex quo quantum opera studiis impenderis, ipsi
Dotibus ex culti novimus ingenij;
Nam quis judicio te sit limatior omni;
Aut quis in Aonia purior arte, latet:
Nam tu sive velis nodos, aut solvere gryphos,
Illi te nondum discutiente ruunt.
Divite sive aliquid cupias deducere vena,
In sacros veniunt verba polita modos:
Tu quoties Latia diffundis flumina lingue
Verba Periclae tincta nitore fluunt;
Macete animi; ergo sacris jam tot virtutibus auctus,
Ad patrios remeas, candide I A N E, focos.
Hoc aliquâ doleo, nam cætus anchora nostri,
Et clari hic nobis luminis instar eras:
Verum ubi Pannoniam multorum subruit error,
Ac serpit lolium, pullulat atq; filix:
Vade, labescentem patriam molimine firmo
Iam fulci, tenebras discute pontificum.
Lauriferi fer opem sacris Heliconis alumnis,
In dubium ne quos devius error agat:

C ij

I pre-

I precor, i latus patriis allabere terris,
Pannona, felici sidere, regna pete.
Texuit, i, sacro tibi pridem è flore coronam
Patria terra tuis impositura comis:
Non tibi Menalia Boreas spirabit ab arcto,
Frigoris hic flabit mitior aura tibi:
Præbebitq; aditum facilem Misneidos ora,
Dura Henetum gens est nil nocitura tibi;
Rupibus en culmen pronis tibi deprimet ipse
Carpathus, atq; aditum per via terra dabit.
O quibus excipiet te plausibus Vngara pubes,
O quali excipiet patria terra sinu?
Ac te non aliter storebit Pannonis ora,
Floruit hac claro quamplaga Lotichio.
Claruit ac veluti divino Brettia Philippo,
Et Stagyra suo fulsis Aristotele.
Ergo age carpe viam, nam dextro Nume fultus.
Hinc patriam poteris sospes adire: Vale.

Alexander Szamosközzius.

50

Εὐφημία τῶν Μάσων scripta eidem D. Ioanni
Czánadio à Francisco Nimethino.

EST plaga Teutonidum multis decorata Lyceis
Clara, sub Arctoi quæ iacet axe poli.
Sunt h̄ic Castalijs habitata palatia Musis:
Nec non doctificis testa referta viris.
Ait VViteberga magis Musis, cœtuq; docentūm,
Claret, & Vngarico est condecorata choro.

Hic,

Hic, vbi Leucoreæ sedes stat docta Minerua,
Turba frequens studijs est cumulata pijs,
Ex alijs h̄ic Pannonios mirantur alumnos,
Musa quibus studio candiore fauet:
Suauibus oblectatq; fauis, pariterq; gubernat,
Hos docet ætherei cœlica sacra Dei.
Horum Mnemosynes natæ tanguntur amore,
Quod studeant fructus accumulare suos.
Primus ut ante alios, primo censemur honore
Dignus, Pannonij, Dux colophonq; chorii.
Et tacitis miscent Musæ sua verba loquelas:
Quæ tamen & Clarius percipit aure Deus:
Sunt licet (illæ aiunt) virtutes præmia per se,
Sed meruere tamen, quas comitentur, opes.
Virtuti præcium, clarorum parta virorum,
Si qua labore venit gloria, digna venit.
Hic coluit iuuenis teneris nos semper ab annis,
Nostra nec erubuit candida castra sequi.
An ne etiam suauem lauri gustauerit usum;
Et sint Pierio labra rigata lacu?

Per duodena poli spacium ter signa cūcurrunt

Titan, Leucoreo quō manet iste sinu.

Est utriusq; piæ Sophiæ iam ritè peritus:

Emeriti præcium dignus ut inde ferat.

Præbuit his dictis patulas vbi Cynthius aures,

Talibus ipse modis mox resecutus erat:

Leucorides Musæ, sum non ignarus eorum,

Præmia quod nostri cultor honoris habet.

Cursor olympiaci statuam certaminis ardet:

Viator habetq; sui digna trophya loco.

Stemma facit clarum, clara de stirpe creatum:

Emeritos tituli nobilitabit honos.

C iii

Hic

Hic quoq; qui Charitum diuino nominis gaudet,
Dignus erit tanti commoditate boni.
Iure noua textæ lauri de fronde corollæ
Cinxissent frontem, non sine laude, viri.
Aurati lapides digitos, sua mitra capillos
Ornassent; nostram si voluisset opem.
Sed meliora mouet: nam tendit ad ardua virtus;
Præmia quæ sunt his splendidiora, cupit.
Ad patriæ properat dulces remeare penates:
Ut doceat sanctum cœlica dona gregem:
Et sacra expedita diuini oracula verbi:
Surgat ut hinc nostri gloria magna chori.

Votum ab eodem factum.

I Bis beata Leucoridos procul
Ex sede sacræ, mœnia deserens
Phœbea, doctrina referte,
Macte vir ingenio salubri.
Linques tuorum laude sodalium
Dignam cateruam Leucorei laris.
Hic in sinu, Musis amatam,
Officio sibi destinato.
Cunctas salebras tu benè cursibus
Transire saltus, tesquaq; plurima,
Nosti, vias monstrauit ipsa
Iam Labyrinthe Ariadna rectas.
En latus instar tu remeas apis
Hyblæ & auters plenum opus hinc thymo,
Postquam referisti dearum
Aonidum tua corda flore.

Puris

Puris rigarunt labra fatis tua,
Virtute mentem iam Sophiæ satis
Sacraq; firmarunt: & aptis
Artibus excoluere Musæ.
Harum loqueliis dulcibus, imbrum
Instar profusis, iam saturatus es,
Deuota replerunt liquore
Pectora Pierides salubri.
Christi benigni lumine clarus es,
Instructus almæ palladis artibus:
His non caducis hinc redibis
Fructibus Aonidum paratis.

Hæ sunt opes quas æquiparant minus
Phryea Colchi splendida vellera,
Vexere Iolcum in quæ Pelasga
Aesonides, Minyæq; puppi.

Tales opes non Alcinoi ruber
Fert hortus, aut fons Lydius, aut Tagus
Auro fluens, quales auitam
In patriam vehis hoc recessu.

Iam plaudat omnis Pannonidum chorus,
Plaudatq; Mater, plangere desinat
Ecclesia, auctum quòd remittit
Leucoris hinc sibi ritè Nutrix.

Quæ non Sabæis muneribus, neque
Gazis amœnis Hesperidum, neque
Rebus caducis te beavit,
Alcinoi nitidisue pomis.

Longe sed istis splendidioribus,
Quæ sunt ab altis sedibus ætheris
Delata, quorum non inanis
Gloria, nec violatur æuo.

C iiiij

O iam

O iam beatus, terq; quaterq;, vir
O I A N E sacris chare penatibus:
Dignus tiara; dotibus quod
His patrios repetis penates.
Qui castra cum non ultima coelicæ
Sis persecutus Palladis: inclita
En turba Musarum precatur
Omnia fausta tibi hinc ituro.
Visurus oras tu patrias procul,
Linquis Lycei docta palatia:
Hoc ô secundet omne, oro,
Christus iter comes, Angeliq;,
Gratetur ut sic mox reduci pia
Materq; semper iam faueat Deus:
Ut tu Iuuentæ Patriæq;
Commoda mille seras abunde.

A L I V D.

I A N E, mihi, & Musis nimium dilecte Cianadi,
Magne vir, ingenio dexter, & arte potens.
Cum properes patriæ, celebri redditurus ab urbe
Leucoris, optata luce videre focos:
Te precibus sequor ipse meis, te pectore puro
Concomitor, patrios donec adibis agros.
Hic tu Thespiaenum celebres studiosior hortos
Lustrasti ingenij dexteritate tui:
Hic quoq; dum sacro reficis tua labra lepore;
Interea tacite quarta recurrit hyems.
I felix igitur, quo te vocat ardua virtus,
Et studijs patriam perge levare tuis:
I decus eximium, patriosq; revise penates;
I: Deus esto tua duxq; comesq; via,

Et tibi

Et tibi pro votis felix iter omnia reddane,
Mons, sylva, vallis, flumina, terra, polus.
En tibi gratatur reduci dulcissima Mater.
Gratantur docti, te redeunte, viri:
Quin Emericus item Princeps latatur alumno
Te, qui Forgacidum nobile nomen habet.
Qui quoniam meo dignatur honore Camœnas
Excipiet vultu, te, scio, I A N E, pio.
Ergo bonis aubus felici & sydere perge,
Et patriæ optatam, nam potes, affer opem.
Candida, quod superest, dum me tibi fata reducent
Sis memor oro mei, dulcis amice, Vale.

Nicolaus Tanko Debrecinus.

A L I V D.

I A N E tuos linquens, doctas exculte per artes,
Iam repetis patriæ, splendida tecta, domus?
Quid properasse juvat? nondum tua provida virtus
Est oneri nobis: quid properasse juvat?
Cur magis hac artes te non remorantur in urbe
Ingenuæ, & sanctæ Bellerophontis opes?
Hic potius maneas, præclaros percipe fructus,
Quos tibi cultori magnus Apollo dabit.
Sed benè Musarum donis ditatus abibis:
Et repetis patrij dulcia rura soli.
Tutus eas, redeasq; domum, salvosq; propinquos
Repperias, nullo te remorante malo.
Omine felici superi comitentur euntem:
Sit comes & Christus, quo duce tutus eris.

Duxit

Duxit ut ad patrias redeuntem fortiter oras,
Isaciden custos Angelus ipse Dei.
Sic quoq; Pannonicas idem te ducat ad oras,
Felix, ut tanto præside salvus eas.
Æolus includat furiosos turbine ventos,
Ut placidè longum persiciatur iter.
Tu quoq; fusor aquæ pluvias compesce madentes,
Ne ruat effusa turbidus imber aqua.
Vade, vale, salvosq; tuos invise propinquos,
Et nostri maneat semper imago tibi.
Tasnadi ut possit tot claros inter amicos
Postremum saltem sustinuisse locum.
Et si qui quid agam forsan sermone requirent;
Hos salvos omnes esse jubeto; Vale.

Michael R. Tasnadius.

A L I V D.

O pposito patriam servant qui corpore, quiq;
Innumeris certant condecorare modis,
Ultima non illis debetur gratia lausq;
Nec pia mens illis justa trophya negat:
Corporis, ast anima quanto præstantia maior,
Tartareus quanto sævior ille Deus.
Tanto, quos anima tangit custodia, certe
Et labor, & merito gloria maior erit.
Hæc tu sollicito dum volvis pectore, dumq;
Cura hominis potior dulcis I A N E movet.
Quò magis instructus committas prælia miles,
Leucorea sospes figis in urbe pedes:
Et jam tempus adest, contrà quo immane furentem
Hostem, cara tuam patria poscit opem.

I celer